

Simi[li]ter si occurrat flos plantæ missæ n. 88 optarem videre.

Utanskrift:

a Monsieur
Mons^r Jean Burmannus
Professeur en Botanique
frijbr. Amsterdam

Sigill V, svart lack

Originalet, troligen fragment, i K. Vetenskapsakademiens bibliotek. I förkortad form tryckt i VAN HALL, s. 17—19. Odateradt, men troligen skrivet i början af September 1757.

¹ Caput bonæ spei = Goda Hoppsudden.

342.

Doctissimo & Nobilissimo Viro
Carolo Linnæo, Equiti
S. D.
Ioannes Burmannus.

Heri tuas accepi mihi gratissimas litteras una cum illustrat: pl. Americ. & denominat: pl. Capens. pro quibus grates reddo summas, & harum quædam mihi adhuc restant quas mittam prima occasione, quum cista plures capere non posset.

Quæ mones de Wacchend: fructificat: non rite adtendi, an scilicet fructus intra florem nascatur, quod si recordor, credo ita sese habere, ac pro tuo genio id addere vel mutare velis, ut & quod radix sit sanguineo-crocea, uti in transplantatione observavi, hoc enim autumnno separavi stolonas, & ultra viginti obtinui, quos transplantavi aliisque misi, cujus radicem in fictili quoque obtinuisti una cum radice Senecionis Asiatici, non vero Dracontii. Si hæ radices vigeant & crescant, lætor, alioquin novas possem mittere, uti ultima navi misi Salviam istam fruticosam primo Wacchendorfiam dictam, quam sine dubio jam obtinuisti.

N^o 40 plantarum Capens. est re vera *Lobelia bulbosa*, n^o 85 non adsunt flores, quod doleo, quum sit planta elegantiss. & aromatica, sed scribam prima epistola, quod alio anno ejus flores colligant uti & reliquarum, quæ mutilatæ sunt. Flores *Sisyrynchii Breynii* mihi desunt, ita ut nequeam mittere, nec indicare quomodo sese habeant, sed diversissimi sunt a meis. Icones Wacchend: sunt apud Chalcographum, qui tardissime procedit, quam primum vero sint incisæ, certo certius mittam, ut descriptioni possint jungi, quam gratum mihi erit, si velis sociis tuis honoratissimis prælegere.

Amicus Cuno præterito anno a nauta Sinensi quoque acceperat, uti putabat, veram *Theam*, quam sollicite in hortulo suo colebat, quum vero eam examinarem, erat *Syringa Persica Ligustri folio*, ita ut eum deriderem, nec putem facile permittere ex regione sua evehi, sæpius saltem audivi, si quis deprehenderetur, qui hoc auderet instituere, capitali pæna mulctaretur: a *Breynio* nondum responsum obtinui hac de re.